



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Matthævs Ap. Et Ev. 21. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

tant, audit hæc è vicino mater (cujus pudicitia Deus consultit, impio nauata extincto) & utrumque ad Ducem rapit, petitque, filios sibi vindicet. Hic imperato EVSTACHIVS pro se pronunciat, agnitusque & uxorem & filios sibi addicit. Victor deinde Romanam ingressus ipsos in triumphum Deos ducit. Dum enim his sacrificare renuit, ad bestias cum suis damnatur, innoxius denique tauro Phalaridis includitur. In hoc mugire ipsum alii credebant, sed ille fortunam ridebat. *Ex S. Mat.*

S. MATTHÆVS AP. ET EV.

21. Septembris.

**V**idit Iudæa hodie clarum inter paucam miraculum: Camelum scilicet per angustias acus se penetrantem. MATTHÆVS fuit, è prædivite Publicano impiger CHRISTI sectator, cuius etiam vitam literis descriptam reliquit, maximam posteris hereditatem. In Æthiopiâ multa illi lucta cum Magis fuit, qui geminos aliquando in Divum dracones emiserunt, sed quos ille quam mox cicures in loca sola amandavit. Cum his monstris etiam perfidia exulavit. Nam cum insuper filium regis demortuum ad vitam revocasset, permota hujuscemodi miris Regni lögè maxima pars CHRISTVM amplexa est, sed cum regnum adiisset,

set, qui Iphigeniam jam olim Deo desponsam copulare sibi sacrilegus perentaret, MATTHÆVS quod palam impium procum damnaret, dum ad aram facit, securi cæsus ipse victima sacerdos cadit. Continuo Iphigenia virginittatis Patrono templum ponit. Hic Rex non amore jam modo, sed irâ et jam ardens ignes Virginis ædibus subicit. Sed iterum pro pudore Angelo è cælis & D. MATTHÆO pugnantibus, flamma ad tyranni testa evolans vix locum dedit, ut cum filio se subduceret. Nimirum mors illi minimè sicca debebatur. Sui ipsius carnifex suum deniq; hausit sanguinem, qui alienum semper sitiverat, regnumque Iphigeniæ germano reliquit, sub quo (utpote Christiano) liberè jam colere Æthiopia MATTHÆVM cœpit, cui quidem nos illud palmarium dicimus, quod purioribus undis primus non frustra Æthiopes laverit. *Ex Lipeloo.*

S. MAVRITIVS CVM SOC. MM.  
22. Septembris.

VOcaverat ex Thebæâ legione jam semel iterumque ad supplicium decimum quemque Maximianus, cum ita ad reliquos Dux MAVRITIVS, Libavimus milites hodie sanguinem nostrum, nondum litavimus. Sed bonū factum! litabimus, ubi  
nostrum